Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

SOLENNITATIBUS

Quam

DEO FAVENTE

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE ac DUCATUS ISENACENSIS HEREDE

DOMINO

GUILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ, GUESTPHALIÆQUE &c. &c.

ex Decreto Magnifici JCtorum Ordinis

in Florentiſſima Salana

ſub moderamine

Viri Magnifici, Præ-Nobiliſſimi atque Excellentiſſimi

DN. JOH. BERNHARDI Frieſens

Conſiliarii Saxo-Iſenacenſis Aulici & Conſiſtorialis ſplendidiſſimi, Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris, & Profeſſoris Publici meritiſſimi &c,

Patroni atque Præceptoris ſui venerandi,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores & privilegia Doctoralia rite & legitime conſequendi

ad diem Auguſti Anno M DCC III.

publico & ſolenni Eruditorum Examini ſubmittit

Reſponſurus Autor

JOHANNES STEPHANUS WELCKER

Regiomontano Francus.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.

Ti. 6
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. T. O. M. B. V.

I.

ETymologiam Solennitatis, à qua ordine recepto ut ordiar, quod ſpectat, ſciendum eſt, ſolennitatem inde derivari, quod fieri ſoleat, ſola ſervetur ſine aliqua mutatione addita vel à lege, vel materiâ & formâ cauſæ, & quod ita ſancita, conſtituta & inducta ſit, ut neceſſe ſit fieri, aut quod ſervari oporteat.

De dictis his videri poteſt *l. pen. ff. de integr. Reſtit.* Et talia ſolennia ſunt, exempli gratia: (1.) Solennia munera, patrimoniorum onera neceſſaria, quæ ſingulis annis præſtanda ſunt, *l. 12. §. 3. ff. d. adminiſtr. tut.* Hinc Feſtus ſolennia, inquit, ſunt ſacra, quæ certis temporibus annisque fieri ſolent. (2.) Solennes penſitationes fructuum *l. 27. C. d. jur. dot.* (3.) Solennia ſtipendia, *l. 7. C. de fide Inſtrum.* der Præceptorum und anderer ihre Quartal-Gelder / non quod quotannis præſtentur, ſed quod præſtari neceſſe ſit.

II. Solennitatis nomine quoque venit 1. Juris ſubtilitas, 2. Legis actio, 3. Ritus & ceremoniæ, 4. Conſuetudo, 5. Ordo & cautela.

1.) Juris ſubtilitas patet ex illa clauſula: omiſſa omni juris ſolennitate: hic enim intelligitur remota juris civilis ſubtilitas, non cauſæ cognitio. *Georg. Capedo deciſ. 39.* 2.) Legis actio v. g. adoptio, manumiſſio, quæ fit, vindicta, emancipatio; ſunt namque actus, qui toti conſtant & conficiuntur ſolennitate Juris & legis; unde in ſpecie legis actiones vocantur. *Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. IV. th. 71.* 3.) Ritus & ceremoniæ Nuptiarum. v. g. *arg. tituli ff. de ritu nuptiarum.* 4.) Conſuetudo vid. *2. Feud. XXXII.* 5.) Ordo. *l. 8. ff. de publ. jud.* uti ſolennitas judiciorum maximam partem in ordine conſiſtit. Cautela; ne quid iniqvum, injuſtum poſſit excogitari.

III. Vocatur alias ſolennitas 1. anniverſarium, 2. legitimum, 3. ordinarium, 4. juſtum, 5. bonum & abſolutum, 6. publicum, 7. expreſſum, 8. coram Principe factum.

1.) Anniverſarium e. g. ſolennes feriæ ſtatæ ac certæ & quotannis recurrentes; quales ſunt ad divinum cultum inſtitutæ, vel ad fructus colligendos tempore meſſis vel vindemiarum. *l. 26. §. 7. ff. ex quib. cauſ. major.* 2.) legitimum: v. g. Solenne Jus pro civili & legitimo, ſolenne ſpatium, actiones, accuſationes, judiciorum, teſtamenti, teſtium ſolennia. 3.) ordinarium: v. g. ſolenniter cavere eſt ſatisdatione ordinaria & uſitatâ cavere. *l. 28. ff. d. adminiſtr.*

nistr. tut. 4.) Juſtum: Sic *l. 1. ff. d. Teſtam.* dicitur: juſta ſententia: hoc idem eſt, ac legitima ſeu ſolennis, quæ fit ſecundum præſcripta legum, ac per conſequens Juris civilis, à quo omnis teſtamenti ſolennitas dependet. 5.) bonum & abſolutum; ſic inſcribitur tractatus. D. Gothofredi Beneventani ſub titulo: Solennis atque aureus tractatus libellorum. 6.) publ. v. g. ſolennes recitationes in digeſtorum titulos Jacobi Cujacii. Solennis Conſenſus Præſidum & Aſſeſſorum in judicio Senatus & audientiæ. *D. Schnveder J. P. R. S. S. l. c. XIII. 13.* Votum ſolenne per executionem, per ſuſceptionem ordinis ſacri, per profeſſionem expreſſam vel tacitam. Votum namque ſolenne poteſt fieri vel expreſsè vel tacitè; ſecus in minus ſolenni. *v. Deſſel. Erotem. Jur. Canon. p. 254.* 7.) expreſſum, v. g. emancipatio. 8.) coram Principe factum, de hoc *v. Mund. 2, 1. 46.*

IV. Solennitas eſt actus quidam 1.) certarum perſonarum, 2.) verborum, 3.) temporis, 4.) loci, 5.) & 6.) modi, lege jubente obſervandus ad finem Reipublicæ.

Sic enim habetur 1.) reſpectus *perſonarum*, quia illarum ratio eſt habenda, *l. 20. ff. d. uſufruct.* & ſecundum eam conditionem; hinc qualitas & quantitas alimentorum conceditur, & ex mutatione perſonæ ſtatus rei mutatur. *l. 9. §. penult. ff. d. publican.* Sic in teſtamento ſolenni adhibetur in teſtimonium ſexus maſculorum non fœminarum; quia, cum illud à comitiis ortum ſuum habere dicitur, fœminæ excluduntur *§. 6. Inſt. l. 26. §. 6. ff. d. teſtam.* & inter ſolennia coronationis Imperatoris aliquibus

Electoribus hoc, aliis aliud ad expediendum competit. *vid. Schvved. Jus Publ. P. G. Sect. 1. c. 2. n. 38. ſeqq.* & ſic quoque in reliquis vitæ conditionibus res peraguntur. Quando verò dicitur, non eſſe habendam perſonarum rationem in Judiciis *c. novit. 13. d. judic. c. nullus. 4. quæſt. 4. cap. in Jud. 12. d. R. J.* ita intelligendum eſt, ut reſtringatur, ſecundum *Menoch. caſ. 448. n. 12.* ad moralia, non vero ad temporalia, in quibus multis caſibus aliud obſervari facilè deprehendimus; aliud enim in nobilibus aliud in vilibus & abjectis ſtatutum eſt. *l. 10. ff. de pœnis.* 2.) *Verborum* mentio facta eſt; quia dicuntur dare actui & contractui legem *l. 1. §. 6. ff. depoſ. l. contr. l. 23. ff. d. R. J.* exque illis judicari debet; ac ea ſumenda contractus ſpecies, quam verba declarant & demonſtrant. *l. 25. d. V. S.* quia voluntas contrahentium à verbis aliena non præſumitur, *l. 7. §. 1. ff. de ſup. leg.* dum mentis conceptum ſignificant, *Cravett. Conſ. 161. num. 12.* nullumque majus diſpoſitionis aut mentis noſtræ teſtimonium eſt, quam qualitas verborum inſpecta. *Maſc. concl. 607.* & verba debent inſervire intentioni, non intentio verbis. *l. 69. ff. d. leg. 3. Axiom. Barboſ. ſub voc. verba.* ratio eſt, quia verba pendent à mente, non autem mens à verbis. *Menoch. Conſ. 97. n. 44.* 3.) *Temporis* ratio habenda eſt; eſt enim Conſilii dator optimus; quam ob rem Thales Mileſius, ut refert Diogenes, interrogatus, quid eſſet antiquiſſimum omnium, reſpondit Deus; quia eſt ingenitus; quid pulcherrimum? mundus, quid maximum? locus, capit enim omnia; quid velociſſimum? mens, diſcurrit enim per univerſa: quid fortiſſimum? neceſſitas, cuncta enim ſuperat: quid ſapientiſſimum? tempus; nam omnia invenit

venit: Et tempore mortalium vita producitur & tempore conſumitur; adeò ut non ſine ratione Mythici Scriptores tradiderint Saturnum, cujus nomine tempus figurabatur, filios ſuos devorare ſolitum, de quo *Fulgent. in cap. 2. in verb. Saturn. lib. 1. Mythologic.* ſignificantes tempus omnia producere & omnia ad nihilum redigere. Tempori inſerviendum eſt, tempus enim omnia ferre conſuevit, & qualitate temporis res mutantur; imo juxta varietatem temporum variantur etiam jura. *c. pen. X. d. conſangv. & affin.* & pro diverſitate temporum, diverſæ oriuntur actiones *l. 3. d. impenſ. in rem dot.* juxta illud vulgatum: diſtingue tempora & concordabit ſcriptura. 4.) Si certæ ſolennitates exprimendæ ex ſtatuto vel lege *locus* ſpecificandus eſt. *Roland. à Vall. Conſil. 33.* Sic in contractibus & in ultimis voluntatibus, locus ſemper reſpicitur. *V. l. 6. ff. d. evict. l. 34. d. R. J.* 5.) Eſt *modus* in rebus, & modus honeſtus in omnibus rebus obſervandus, nulla immoderata affectio ſuſcipienda eſt. Et modo adjecto ſtandum eſt, uti cuilibet licito & honeſto pacto; ex eo enim fides contractus æſtimanda eſt. *l. 8. § 9. d. transact.* dummodo idem ſtatus rei maneat; ſecus enim non ſervatur. *l. 54. §. 1. ff. locat.* Modos & definitiones rerum inducere non hominis, ſed legis eſt, *l. 9. C. d. SS. Eccl.* ita ſi quæratur, an adoptio fieri etiam poſſit teſtamento? Recte reſpondet *Lyclam. l. 7. membr. eclog. 19.* non poſſe; quia alii modi lege proditi ſunt; principale nimirum reſcriptum & imperium Magiſtratus. Sic cum quæritur, an regulariter pactis detur hæreditas? recte negando reſpondebitur: quia certi ſint modi, quibus hæreditas detur, lex & teſtamentum. Cum igitur in iis pactum non

ſit

ſit receptum *l. 5. C. d. pact. convent.* conſequens eſt, hæreditatem pactis non dari. Deinde lege jubente obſervantur ſolennitates ſeu actus circa ſupra prædicta; quia illa ex præcepto eſt & omninò ſervanda; ne in deſuetudinem abeat, *l. 32. ff. de legibus*, aut pro imperfecta & ludibrio habeatur; maximè ſi juſta & honeſta jurique naturæ conveniens ſit; cum nihil aliud ſit, quam divinitus animis noſtris inſcripta notio, per viros prudentes in medium prolata ad ſocietatis humanæ vinculum, quo diſſoluto, nulla reipublicæ tranquillitas retineri, nihilque in toto mundo incolume conſiſtere poteſt. *l. 9. C. d. legibus*, qua de cauſa leges per ora Principum divinitùs prolatas eſſe pateſcit. *ex cap. fin. cauſ. 16. quæſt. 3.* ſecundo, quia aliàs actus alicujus natura & cauſa non rectè declarari poteſt, & non obſervatus, nocet, uti infra patebit. Si autem ſolennitas ſit contra legem, & quæ legem imitatur, conſuetudinem, ipſo jure nulla eſt; hinc judicari poterit, de illis ſolennitatibus, quæ hinc inde oberrant & debitis ſuis requiſitis deſtituuntur.

V. Eſt (1.) alia intrinſeca Solennitas, quæ & ſubſtantialis ſive formalis dicitur, quæ de jure & legis diſpoſitione in facto & actu ita ineſt, ut ab illo ſeparari nequeat, & ex medulla verborum dictorum vel ſcriptorum, item ex viribus, ex ſtatu, ex habitudine, ex conditione & natura tanquam Juris quid colligitur; unde poſito facto, ponitur ſolennitas intrinſeca.

Sub-

Digitized by Google

Subſtantialis vocatur etiam, quia ad actûs eſſentiam ſeu ſubſtantiam illa requiritur; nam ſi id deficit, quod eſt de ſubſtantia, actus non habet ſuam eſſentiam, prout in emtione, in qua ſi non extat pretium ex una parte, non eſt venditio; formalis quoque dicitur, quia ut forma dat eſſe rei: Sic ſtipulationis, &, quæ ſtipulatione perficitur, fidejuſſionis ſolennia intrinſeca ſunt, ut præcedat interrogatio & adæquata reſponſio, inter præſentes viva voce & continuo actu; & in teſtamentis ſcriptis ſunt teſtes eorumque ſubſcriptio; hæc ad ſubſtantiam actus pertinent, & cum quibusdam modificationibus tanquam aliquid novi introducuntur, nec per æquipollens aut per relationem, aut per aliud expediri & ſuppleri poſſunt, & tempore negotii exiguntur, & contemporanea cum actu perficiendo concurrere, non poſt actum ordinatum, quin potius ſpecificè & ritè adhiberi debent, neceſſaria tanquam ad validitatem actus. *Berlicb. 11. concl. 17. n. 102. Anton. Faber L. 1. C. t. 4. d. 40. n. 3. Gail. 11. obſ. 19. Weſenb. VI. Conſil. 260. Mev. J. Lub. tit. 10. a. 1. n. 29. L. Sciendum. 30. ff. d. V. O.*

(II.) Extrinſeca alia ſeu accidentalis ſolennitas vocatur, quæ extra actum per ſe formam habentem ita eſt conſtituta, ut ſine ea ſubſiſtere poſſit actus ab illoque ſeparari, licet lex illum, ut minus ſolennem, haud approbet, & quæ ultra conventionem contrahentium eſt, ad ipſam tamen conventionem corroborandam actui perfecto extrinſecus accedit, &

facti quid eſt, hacque de cauſa actu poſito non ponitur ſolennitas, & ordinarie non præſumitur.

Sic ad Solennitatem extrinſecam, quæ extenditur extra formam rei, refertur rogatio teſtium in teſtamento; certioratio minoris vel mulieris huc quoque pertinet, quia ea, quæ ſunt facti, prout quod mater agnoſcat tutelam filii, coram judice juret, & renunciet, & inventarium faciat, non præſumuntur; quia ſunt de ſolennitate extrinſecâ. *vid. Tuſch. Pract. Conc. Jur. 320. tom. 7.* Sic interventio curatoris mulieris; autoritas tutoris, quæ in contractibus pupilli requiritur, ut pupillus obligetur, huc facit; hæc enim ſolennitas non dat aliquam formam ipſi actui, puta emtioni venditioni à pupillo initæ: nam & ſine ea emtio venditio eſt, ideoque contrahens cum pupillo ipſi obligatur, licet pupillus vice verſa non obligetur. *v. l. Julianus 13. ff. de act. E. V.*

(III.) Porro Solennitas eſt vel gravis vel levis. Illa eſt quæ omiſſa nocet & loco formæ introducta eſt.

Hinc ſi juxta *legem 8. §. 17. ff. de Transact.* Prætor aditus ſine cauſæ cognitione tranſigi permiſerit, tranſactio nullius erit momenti. Si ſtatutum diſponit de levi aliàs ſolennitate & præcipit, ut ea levis ſtrictè ſervetur, tunc ex hac levi fit gravis nonnunquam ſolennitas, maxime, ſi id apparet ex nullitate actus, aut ſi omiſſa actum reddit nullum, cum pro forma introducta eſſe reputetur, quæ omnino adhiberi nec prætermitti debet.

(IV) Le-

Digitized by Google

(IV.) Levis eſt quæ (1.) non fundatur in aliqua urgenti ratione vel utilitate. (2.) Cujus omiſſio nihil, vel parum præjudicii facit. (3.) Cujus omiſſio nihil veritati obeſt, cum aliter de veritate conſtare poſſit. (4.) Ubicunque ex bono & æquo, & ſolâ veritate inſpecta tractatur. (5.) Illud, quod eſt de apicibus Juris & Juris apices concernit. (6.) Cujus omiſſio ſubſtantiam actus non mutat neque alterat, (7.) quæ ex conſuetudine uſu & ſtylo Curiæ omitti poteſt, ſeu, quæ quandoque ſervatur & ſæpe prætermittitur.

Ad (1.) referri poteſt mos nonnullorum opificum: Wenn die Handwercker und Meiſter denen Lehrjungen ausgelernet geben / und ſie zu Geſellen machen / und ſolche bey dem actu ſchwärtzen / höfeln / begieſſen und dergleichen. (2.) Omiſſio Invocationis Nominis Divini in aliquo inſtrumento non nocet, eſt tamen, ſi ponatur, laudabilis: ſecus in nonnullis inſtrumentis à Notario conficiendis. *vid.* Struv. *S. J. C. P. 2. Exerc. XXIIX. th. 29.* (3.) Sic in citatione factâ, licet non ſit ſubſcripta à nuncio, ſi conſtat aliunde, quod facta ſit, valet, quia eſt levis ſolennitas, quæ non vitiat. *Rom. Conſil. 246. in f.* Tuſch. *Pract. Concl. Jur. 330. tom. 7.* (4.) Ubi autoritas Prætoris non eſt neceſſaria, aut ubi in modicis & minimis verſatur. *l. penult. C. ad Trebell. l. ſancimus. C. d. adminiſtr. tut.* Minima enim & modica habent multa ſpecialia & privilegia. Tuſch, *cit. concl. 332.* & ubi in compoſitioni-

Digitized by Google

nibus & tranſactionibus temporalibus res aguntur, levis attenditur ſolennitas, quia in iis, quæ non recipiunt moram, vel in quibus mora affert damnum, illa omitti poteſt, & ſi omitti poteſt, levis dicitur ſolennitas. *l. 22. C. d. adminiſtr. tut.* vid. Tuſch. *cit. concl. 332.* (5.) Signum Crucis in Inventario poſitum ſubtilitatis potius quàm alius neceſſitatis argumentum eſt. Rom. *Conſ. 246.* (6.) Videatur *d. h.* Bartol. *in l. cum hi. 8. §. ſi Prætor 17. ff. de Transact.* (7.) Tandem illæ Solennitates quoque vocantur leves, quas omitti poſſe & interdum omitti, quotidiana docet experientia. Solennitatum diviſionem addere poſſemus ampliorem, cum diſparitas actuum, quorum non pauci ſunt, diſparitatem quoque Solennium pariat; ſed illo labore ſuperſedemus, cum nunc ad cauſas & rationes introductarum ſolennitatum, attamen pro inſtituti ratione, progrediendum ſit.

VI. Solennitatum cauſa eſt potiſſimum Jus Civile; Jus enim Naturæ pleraſque ignorat; attamen cum Jus Naturæ Leges Civiles obſervare ſuadeat & illis ſolennitates comprehendantur; illi, qui iiſdem ſubjiciuntur, indifferentiam Juris Naturæ hìc nequaquam allegant, qui poteſtatem ferendi aut abrogandi Leges Civiles non habent.

De hac theſi videatur Sam. Puffendorf. *de Jure Nat. & Gent. Lib. VI. c. 1. §. ult.* Princeps, aut is qui leges condere & abrogare poteſt, Solennitatem determinat. *l. 9. C. d. Leg. & Conſt. Princ.* Hocque fit per Jus Civile ſeu poſitivum,

tivum, quod diſponit de rebus naturæ, nec neceſſariò bonis, nec neceſſariò malis; ſed indifferentibus.

Deinde per eas declaratur Summi Numinis gloria; faciunt namque (1.) ne quem fugere forte ea poſſint, quæ ſcire omnes debent.

Si progrediamur ulterius & quamlibet cauſam juxta ſuum principium examinemus, apparet ubique Numinis gloriam & beatitudinem civilem per eas intendi debuiſſe, & cum eam promovere omnibus incumbat, & hoc per licita media ſignificare conveniat, meritò huc referemus inter alia campanarum pulſum ad Sacra ritè nobis peragenda vocantem & exploſionem tormentorum ob beneficia Deo per victoriam forte ab hoſte reportatam Principibus & civibus præſtita.

(2.) Faciunt Dei commeminiſſe; & ad agendum gratias ſummō Numini pro beneficio invitant.

Hoc enim eſt, quod ſcire omnes debent, & voluntas Legislatoris & Summi Numinis exigit; Princeps enim & Magiſtratus Dei vices ſuſtinet. Invocatio Nominis divini, à Notario inſtrumento ponenda, *Conſt. Imper. de Anno 1512.* §. und nach dem: huc pertinet; ea enim admonitus, iram divinam timet, ne fraudem in faciendo inſtrumento committat. Item *lex fin.* §. 2. *C. d. Jur. delib.* de cruce ab hærede propria manu in confectione inventarii ſcribenda in memoriam Crucifixi ad evitandam malitiam diſponit; qui tamen mos apud Conſtantinopolitanos, quam nos, eſt frequentior. *Novell. 90.*

 (3.) In

(3) In iſtis divina Principis conſtitutio repræſentatur populo, & tùm Princeps tùm ſubditi ſuorum admonentur officiorum.

V. g. Per unctionem; Deus enim eam inſtituit ad ſymbolum ſuæ gratiæ, cujus donis omnes inſtructos eſſe decet, qui Eccleſiæ vel Reipublicæ præeſſe volunt. Unctio & reliquæ ceremoniæ nullum quidem Principem faciunt, bene tamen declarant. Inungitur pollice dextro, effundendo modò oleum in cervicem capitis, in humeros, brachia & manus. Quatuor reges unguntur ex more recepto, ut: Hieroſolymitanus, Franciæ, Angliæ & Siciliæ, cèteri non niſi ex privilegio. Imperatorem ungit Pontifex, aut cui is commiſerit. Regem v. Germaniæ, Archiepiſcopus Moguntinenſis & Colonienſis; à ſacra hac unctione, quia juxta Pontificios eſt ſacramentum, imperium ſacrum dici tradunt, ſed vid. Perilluſtriſſ. & Generoſiſſ. S. I. R. Lib. Bar. de LYNCKER in Anal. Huc quoque referimus omnes ritus ſacros, conciones, preces, loca ſacra &c. In ordinatione miniſtrorum eccleſiæ fit manuum impoſitio ex antiquiſſimo ritu apoſtolico, de quo nobile illud interdictum S. Pauli: manus nemini facile impoſueris.

(4.) Eo pertinet autoritatis conciliatio, reverentiæ, magnificentiæ, eminentiæ & potentiæ, Juriumque majeſtatis exercitium.

Magnorum enim operum vulgus non alios capaces putat, quam quos eximia ſpecie donatos videt. Bodin. *d. republ. l. 3. c. 5.* Car un Prince ſans autorité e ſemblable à une

une tête ſans yeux & à un corps ſans ame. Et inde dependet tùm propria adeoque noſtra autoritas & tranquillitas, tùm rerum noſtrarum in placidâ quiete uſus, diſpoſitio & ſecuritas. Inter modos autem comparandi referuntur nonnullæ ſolennitates & obſervationes verborum ſeu titulorum. vid. Becman. *Synt. dign. diſſ. I. c. 3. ſeqq.* Quales ſunt tituli Magnatum ad eorum dignitatem exprimendam, & ſolitæ abſtractivæ locutiones v. g. 1. *Majeſtatis:* denotat enim hæc ſummum ſub Deo imperium, aut dignitatem à ſuo imperio emanantem. 2. *Dilectionis*, Liebden; ob naturale conſanguinitatis aut affinitatis vinculum, quo plerique conjuncti ſunt. 3. *Uſus pluralis;* ad denotandam magnitudinem; Princeps enim, quia omnes repræſentat, unus inſtar omnium, adeoque veluti multiplex eſt. Sic & in Dei compellatione in pleriſque linguis, etiam iis, quæ alias in uſum pluralis numeri maxime propendent, ſingularem numerum retineri moris eſt, tanquam convenientiorem perfectioni ejus: quæ quia ſumma eſt, non poteſt non una adeoque ſingularis eſſe, pluralis neutiquam, quoniam inter plures diviſa deſineret eſſe ſumma. 4. *Dei gratia:* hoc titulo Princeps profitetur ſe arbitrio humano nulli ſubjacere; ſed poteſtatem dignitatemque ſuam unicè ſublimiori potentiæ cœleſti debere; neque enim arrogantiæ fuerit, eum, qui præſtita à Deo beneficia fatetur, magnifice loqui. Rationem adſumti tituli pendere aſſerunt ex vicaria poteſtate, quam Dei nomine in hiſce terris gerunt, adeò ut à ſolo Deo ſe conſtitutos eidemque ſoli, nulli hominum, obnoxios eſſe profiteantur, ex his præſertim dictis: omnes ſub illo, ille ſub nullo, niſi tantum Deo, à quo ſecundus, ſub

quo

quo primus, ante omnes & ſuper omnes in ſuis ditionibus. Et in nomine Dei, in nomine Chriſti ſe imperatorem profiteri, eſt, ejus autoritate ſe talem eſſe, agnoſcere; quod ipſiſſimum eſt Dei gratia, ſeu non facto ſuo, ſed benignitate cœleſti dignitates ſuas poſſidere. Principes noſtri Imperii in literis ad Imperatorem exaratis non utuntur inſcriptione Wir / nec recenſione ditionum in ſubſcriptione, ob reverentiam imperialis culminis. vid. Dn. à Seckendorf. Teutſch. Fürſten-Staat. *P. II. c. II. n. 2.* 5. *Domini* titulo veteres uti nolebant, ne vim inferant divinæ Majeſtati; nam Dominus eſt cognomen Dei. Stylo publico aulicorum paſtores non vocantur Herrn/ ſed per metatheſin Ehr/ vel per aphæreſin Errn Pfarrer. Galli vocant regem *Sire*, à voce antiquo *Seir* & *Seiros*, quod ſolem ſignificet; Monarchas enim ſuos reverà ſolem terrarum ſuarum eſſe; non enim, dicunt, ſufficientem eſſe honorem, appellare regem *Monſieur,* aut *Monſeigneur*; cum videri poſſet, eum ità appellari, ac ſi tantum eſſet Dominus ejus, qui eum iſto appellat titulo; itaque cum ſit Dominus univerſalis, & omnium quoque appellatur *Sire* indefinitè. vid. Favyn *Theatre d' honneur L. II. cap. XII.* 6. Loco *divi* & *religioſiſſimi* titulus *ſacratiſſimus* venit; unde & imperium noſtrum Romano-Germanicum à religione dicitur ſacrum; (1.) quia hoc à ſanctiſſimo Deo prædictum, conſtitutum, & huc usque ſervatum eſt; (2.) quia ſanctum ſanctorum Chriſtum naſcentem complexu ſuo fovit; (3.) quia ſanctæ eccleſiæ Chriſtianæ nobiliſſimam partem comprehendit, quæ ex ſacro & civili ordine tanti corporis compages aptata eſt; (4.) quia Imperatores munus tuendæ Eccleſiæ totiusque Chriſtianitatis

nitatis præ aliis regibus ac principibus gerunt & geſſerunt, maximè in bello adverſus Turcas omniũ gentium Chriſtianorum ſuffragio. *vid.* Becman. *Synt. dign. diſſ. 1. c. 11. & ſeqq.* Et hæc de nonnullis titulorum ſolennibus. *Coronatio* ſignum quoque eminentiæ eſt & *corona aurea;* ſummæ enim excellentiæ ſigna dum ſunt, dignisſima materiâ etiam, adeoq; puriſſimo metallo conſtare debent & gemmis optimam ſignificationem admittentibus. *Globus* notat univerſale imperium; *Crux* illa impoſita in memoriam Crucifixi, ſeu illius, qui inde cruciatibus noſtris medelam attulit. *Sceptrum* Jurisdictionem & poteſtatem indicat, juſtitiamq; vindicativam. Enſis eſt ſymbolum poteſtatis publicæ in repugnantes, adeoque juris debellandi hoſtes & puniendi ſubditos; ſtrictus porrigitur tanquam pœnam paratam habituro; vibratus transgreſſoribus minitatur. *Faſces quoque & ſecures* tùm Conſulum tùm Prætorum, quæ ipſis præferebantur per lictores plebem ſubmoventes, huc cum Sceptris Rectorum Academiarum referuntur licet nonnulli ea interpretentur de ſingulari potius honore, quam de inſigni regiæ & ſummæ poteſtatis, utut Principes ea ipſi aſſumere interdum haud detrectent. Schvveder. *Jus Publ. part. ſp. S. 1. c. VI. 9.* *Thronus ſeu ſedes eminentior* huc quoque pertinet, quia enim munus gerit Princeps eminentiſſimum, merito ſede etiam conſpicuum eſſe oportet; ſingularis reverentia ei tribuitur & aperto capite veneramur conclavia Principum ob ſpecialem in iis Principum præſentiam; at throno regio inſidere nunquam non pro crimine verſum & habitum eſt. Becman. *d. l.* In actibus deinde publicis Imperantibus prærogativa quoque conceditur quoad cultum cor-

 poris

poris atque veſtitum; cum ad venerationem eorum faciat, eosque illuſtriores reddat, qualis eſt e. g. *purpura* ob ejus pretium, & ſignificationem vindictæ juſtæ in ſanguine improborum fundendo; item peculiaris ille amictus academicus, qui *epomis ſive paludamenti genus*, ex panno ſerice purpurei coloris, à Principum imitatione poteſtatem acad. definit. In ſignum perfectionis, & virtutis *pileus* ille eſt rubeus & purpureus, infula quoque capiti impoſita ad inſtar coronæ in fortiſſimo certamine acquiſitæ, cum DD. præſertim in Jure promoti, æque ut milites armis ſuis, rempublicam legibus defendant. *l. 14. Cod. de advoc. 1.* Pileum eſſe vetus docentium inſigne conſtat, quo ipſo ſapiens antiquitas hunc ordinem à reliquis ordinibus & præcipuè à plebeculæ multitudine diſtinctum eſſe voluit. Si verò Solennitates circa prædictas veſtes obſervantur, haud indecorum erit, ſi ſint ſecundum conſuetudinem loci & rectæ rationi conformes; aliorum quidem gentium mores non deſtituuntur ratione; ſed quia apud nos haud introducti nec noſtris moribus conformantur, eluduntur; quia vel minimus in ſolennitate defectus, ratione decori, à populo pro maximo crimine, ad minimum pro peſſimo reputatur omine, maximisque turbis fomitem ſubminiſtrare poteſt. Quod etiam metuendum ſi rationi rectæ, regulisque prudentiæ, ſacræ ſcripturæ & chriſtianæ diſciplinæ adverſarentur. Inſuper eſt quoque hominum, plebeiorum præſertim, indoles, ut ſenſibus & imaginatione plus valeant, quam Judicio & intellectu; adeoque etiam rebus, quæ in ſenſus cadunt, oculosque perſtringunt, acrius moveantur, quam argumentis rationibusque luculentiſſimis.

vid.

vid. Dn. Budæi *Diſſert. de Solen. Princ. nuper Halæ habit.* Tandem quoque addendum eſt, ſolennitates adhibendas eſſe tales, quæ jura Majeſtatis prodant; uti eſt in Imperatore Equitum Creatio certis ritibus & ſolennitatibus peragenda &c. *vid.* Becman. *Synt. dignit. VI. 1. 8.*

(5.) Amorem quoque & benevolentiam ſubditorum erga Imperantes excitant & conſervant; deinde ad recreationem populi faciunt, nec Principem ſordidum aut inique tenacem fore declarant.

Eo ſpectat Miſſilium Sparſio, Freudenmüntz auswerffen; Conviviorum inſtructio, captivorum liberatio, &c. Quia his ſolennitatibus amor & benevolentia, quæ à Beſoldo *d. ærar. publ. c. 2.* & Bodino *d. republ. l. 5. cap. 5.* theſaurus & præſidium firmiſſimum dicitur, excitatur & comparatur, & munificum & liberalem ſe præſtare non ſolum Summi Principis generoſitatem indicat, & ſplendorem ipſius adauget *arg l. unic. C. d. Theſaur. l. pen. C. d. donat.* ſed & hac ratione cives longè promptius obediunt & imperata ad Principis & Reipublicæ ſalutem liberiori animo præſtant. Tullius id effecerat, & eam ob cauſam Pater Patriæ nuncupatus eſt; Livia quoque Mater Patriæ dicta fuit, quod multos Senatores conſervaſſet, educaſſetque eorum liberos, ac complures eorum filias in matrimonium elocandas dote juviſſet. *Tac. Anal. L. 14.*

(6.) Felicitatis inſuper & abundantiæ ſymbola ſunt.

Huc pertinere videtur bos ille integer variis animalibus farctus & aſſatus; & vinum magna in copia tempore

coronationis Imperatoris fluens, de quo *D. Schwedernus Jur. Publ. P. Sp. S. 1. c. 2. n. 41.* & alii latius. Felicitatem enim cum in actibus publicis ac ſolennibus meritò expetant cives; ita Principes rectè nihil omittunt, quò ſpem opinionemque civium de felicitate rerumque abundantia per providam Reipublicæ adminiſtrationem in eos derivanda confirmunt; Non tamen exceſſum aut luxum, ex quo facilè ſubditorum odium oritur & recreatio populi pervertitur, committant. Eam namque conſervare ad quietem popularem ac bene gubernandum Rempublicam pertinere, multi arbitrati ſunt, ſecundum *leg. 4. C. d. pagan.* & juxta loca, quæ non ſine ſingulari ſtudio in ſuis Politicis *l. 4. c. 8.* congeſſit ac diſpoſuit Lipſius.

(7) Adhæc ſignificant ſubjectionem & obedientiam, pacem & charitatem, lætitiam concordiam, amicitiam; & pignoris inſtar ſunt datæ acceptæque fidei.

Huc referimus 1. homagium certis ſolennibus Principi præſtari ſolitum. 2. Xenia & ſtrenas, quæ non ſolum Legatis, ſed aliis quoque, tam in ſignum fidei ac pacis quam gratitudinis, ſæpius mittuntur; ſiccat enim ingratitudo fontem miſericordiæ, rorem pietatis & fructum gratiæ, juxta *Weſemb. 1. Conſ. 34. n. 12.* & ingratitudinis vitio nihil eſt majus aut deteſtabilius; *Menoch. Conſ. 723. n. 3.* tollit enim naturæ debita. Lætitiam verò exprimunt florum ſparſiones, ſolennes acclamationes, per vocem *Vivat*, tormentorum exploſiones, tympanorum pulſus, panegyrica, carmina, inſcriptiones, arcus triumphales, ignes artificiales, & quæ ejusmodi ſunt alia ſimilia.

Digitized by Google

lia. Evitetur modo ubique nimia adulatio, & Cyniciſmus; *illam* enim ſi committunt & quempiam carminibus in cœlum veluti laudando efferunt & cultu divino venerantur, vix effugient cenſuram; maximè, ſi *hic* non ex ſimplicitate, quæ veniam meretur; ſed conſulto perpetratus. Deinde, pignoris inſtar datæ acceptæque fidei *annuli* ſunt, qui primitus ferrei, poſtea verò aurei & ſine gemma dari cæperunt, *Plin. lib. 33. cap. 1. Iſidor. l. 20. Etym.* ac quibus fœminæ non utebantur, niſi quos virgini ſponſus miſerat, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel ut eo pignore eorum corda conjungerentur firmius *l. 36. §. 1. ff. d. donat. int. Vir. & ux.* concordia enim tranquillitas animi eſt, & ſerenitas mentis ac vinculum amoris, pro quo faciendo omnino juvandum eſt: juxta *capit. 22. quæſt. 1.* Genuum flexionem, oſculum & complexum ſuperioribus quoq; an numerare poſſumus, hodie inter perſonas Illuſtres ac Nobiles ſubinde, non tamen absque circumſtantiarum diſcrimine, obſervari ſolita; cum Doctores excipiuntur in cathetra oſculo, eum in finem id fieri videtur, ut moneantur, eorum conſilia & cogitationes inter cætera eò directas eſſe debere, ut pacem inter Principem & ſubditos, inter Magiſtratum & cives atque inter hos invicem tueantur, &, ſi quædam ad diſſidia vergere & tranquillitatem civium rumpere providerint, tempeſtive componant, nunquam tamen à recto juſtitiæ tramite deflectendo. *Vid. diſſertat. ſub Præſid. Petri Mülleri habit. d. gradu doctor. 1687.*

(8.) Præterea ad laudem, gloriam & honorem incitamenta ſunt. Hinc

Solennitates promotionum & graduum ideo inventæ ſunt, ut iis tanquam præmiis quibusdam juventus ad bonarum artium & diſciplinarum ſtudia invitetur, & honor ipſis, qui artes alit, comparetur; honos namque maximum & pretioſiſſimum bonorum eſt *l. 104. ff. d. R. J.* hinc illum ſibi à quopiam imminui nemo facilè pati debet. Fichard. *l. 1. Conſ. 77. n. 6* nec carere dolo dicitur qui honorem proprium non curat *l. 26. ff. & ibi Baldus, ſi quis omiſſa cauſ. teſtam.* nam honoris & vitæ cauſæ æquiparantur *l. 9. ff. d. manumiſſ.* ſicut enim homicidium pro defenſione commiſſum impunitum eſt: *l. 45. §. 4. ff. ad L. aquil.* ita etiam impunitum cenſeri debet, ratione defenſionis honoris. juxta Vultej. *1. Conſ. Marp. 29. n. 6.* ſiquidem naturaliter homo honorem appetit & omnes laudis gloria ducuntur. *Cic. 1. Tuſc.* ideò eſt, inquit Joh. Andr. *in cap. ſi religioſ. ſuper gloſſ. in verſ. obtenta d. Elect. in 6.* quod *honos* ſcribatur cum adſpiratione, ex eo, quod omnes honorem adſpirant; ſecus in dictione *onus*, quia illud nullus adſpirat facilè. Ut autem intereſſe honoris in materia præcedentiæ, *de qua apud Becbtoldum & Speidelium plura videri poſſunt*, illæſum conſervari poſſit, excogitarunt quidam artes atque cautelas, quibus illud ſervari poſſe credunt ac contendunt; inter quas *Proteſtationem* potiſſimum numerant eamque non ſine omni effectu; nam referente D. Schwedero *Jur. Publ. P. S. Sect. 1. cap. X. 18.* hac cujusque jus & permittitur alteri & cuique ſervatur, hac fieri non videtur, quod fit; hac denique efficitur, ut, quod factum in præſens eſt, factum minimè reputetur; hæc neceſſaria eſt, cum quomodo faciendum quid ſit, tuto decidi nequeat. Vim verò habet, ubi non tantum in verbis

con-

conſiſtit, quæ oblivione ſæpius transmittuntur, manente interim alterius exemplo; ſed in actis inter factorum monumenta ſuis formulis repræſentatur; verba enim ut in negotiis in ſe vana, ita rerum loco ſunt, ubi actis rerum ſolenniter inſeruntur. D. Schvved. *d. l.*

(9.) Non ſolum honorem, ſed & alicujus memoriam tutantur.

Ad ſolennitates, quæ memoriam alicujus conſervant, referemus, (1.) Nomen & titulum Imp. Cæſaris vel Vicarii *Novell. 47. c. 1.* & Indictionem der Römer Zinß-Zahl/ quam Notarius in faciendo Inſtrumento publico obſervat; hæc namque conſuetudo, non ſolum, quod anni exordium non ubique terrarum à Januario, aut à Nativitate Chriſti incipiat; ſed & in honorem antiquitatis & loco confirmationis Romanæ adhunc usque diem continuatæ Monarchiæ, retinetur. *vid. Maximiliani I.* Ordnung zu Unterrichtung der Notarien *1512. edit. 1691. Lipſiæ in 8. cum annot.* (2) Convivia quoque inſtitui, & in piam memoriam panem diſtribui nonnullis in locis vidimus; qualem morem in patria retineri memmini, cum convivium, quod Seelbad appellitant, parant & Spendweck/ de more recepto, erogant. (3) Sic cum Princeps fundamentum & ædificii alicujus publici primum lapidem ponit, & caſtrum doloris erigitur, argumentum de conſervanda memoria id eſſe poteſt; & luctus funebres, tam ad viventium informationem ac conſolationem, quam ad defuncti commendationem & honorem inſtitui poſſunt. Hinc defunctos Principes appellamus titulo: *Glorioſiſſ. Memoriæ*, in teſtimonium conſtantis venerationis

nis magnorum meritorum eorundem; gloria enim eſt judicium de eminenti alicujus virtute & honor opinio de excellentia. Gloria umbra virtutis eſt, & quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando ſequitur; ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendamque ſe præbet, aliquando in averſo eſt, majorque quo ſerior, ubi invidia ſeceſſit. *Seneca Ep. 79.*

(10.) Juris etiam cujuſdam, virtutis aut officii, quod in dubium vocari poterit, ſymbola ſunt & argumenta.

Huc pertinent (1.) Tituli perſonarum ob prætenſiones & jura in alicujus regionem & territorium (2.) ſcuta, galeæ, aquila biceps, lilia & omnia Heraldica ſigna, de quibus Becmann. *Synt. dignit. VII. III. 5.* videri poteſt. Scutum namque & galeam veteres eam ob rationem potiſſimum ſumpſiſſe dicuntur, quod inter arma non tantum maximè conſpicuum eſſet, ac defenſivis pariter atque offenſivis armis omnium nobilius haberetur; ſed & quod ſcuti alienatio inter alia pro deſertionis crimine reputaretur. *l. 14. §. 1. ff. de re militari.* Aquilam verò quam amaverunt, referre, ajunt, roborem, magnitudinem, celeritatem, acrimoniam viſus & prudentiam; utpote quibus donis Romani plurimum eminere volebant. (3.) Hujus vel illius hominis amictus & veſtitus huc quoque conducit, quo aut ſuum ſingulare officium & virtutem indicare contendit; qualis erat toga candida Candidatorum olim Romanorum *V. Panciroll. 2. th. v. l. c. 11. in f.* A prima enim rerum origine homines operam veluti dedere, ut virtutum, dignitatum, fortunæ,

aut

aut ſimilium rerum ſuarum ſigna aliqua publica exſtarent; ita colores & imagines animalium non obſcura virtutum indicia referentium, ſumſere teſtaturi, ita ipſis non minus virtutes eorum curæ fore. Et hinc per colorem aureum nil niſi felix ſeculum indigitare volebant; per viridem vero, ſpem, robur & vigorem; ab herbis potiſſimum deſumtum, quæ dum virent, vigent per cœruleum juſtitiam, claritatem & famam; per purpureum vim Imperii, ob purpuram, quæ Principibus maximè convenire dicitur; per nigrum prudentiam & firmitatem; per album, innocentiam, potentiam, æquitatem, fidem, pietatem, ac candorem &c. *Vid.* Becm. *Synt. dign. VII. III. 5.*

(11.) Ne eadem facilitate, qua quid initur, ſtatim inſcio legislatore rurſus ſolvatur, operantur.

Hinc contractibus & ſponſalibus celebrandis ſæpius *arrhedationes* interveniunt; ſymbola tanquam aliqua publica, omnium hominum oculos incurrentia; in teſtimonium & argumentum, ne quis à contractu & data fide facile reſiliat; Arrharum enim nomine, id indigitare contendimus, quicquid firmandi contractus aut obligationis cauſa accedit & datur, ſive ſit id pecunia ſive annulus, ſive res alia quælibet. Atque ſi illæ in contractu emtionis venditionis dantur, ubi plerumque Gottespfennig vocantur, non ſolum evidentius de pretio fuiſſe conventum probant; ſed &, non velle quempiam contrahentium à contractu recedere, indicant; ex diſpoſitione *l. 35. in pr. ff. d. contr. emt. vend. l. 6. & 8. ff. d. lege commiſſo.*

miſſoria. l. 11. §. 6 ff. d. act. Emt. Vend. l. 5. §. 15. ff. d. inſtit. action. l. 17. §. f. C. d. fid. inſtrum. Si verò illæ in ſponſalibus adhibentur, ubi vulgò arrhæ ſponſalitiæ ſeu ſponſales, Germanicè Handtreu oder Mahlſchatz audiunt, ad differentiam arrharum in aliis contractibus dari ſolitarum, de quibus Cujac. *l. 11. obſ. c. 17.* & Paulus Cypr. *in tr. d. Jur. connub. part. 1. cap. 11.* §. *3.* tunc rurſus nihil aliud ſunt, niſi munuſcula ſigna, & argumenta promiſſi matrimonii & ſponſaliorum contractorum, ultro citroque inter ſponſum & ſponſam, data. *l. 38. in f. pr. ff. d. rit. nupt. l. 3. & 5. & in rubric. Cod. d. ſponſalibus & arrhis ſponſalitiis. l. 16. C. d. Epiſcopali audientiâ.* Has autem rerum tam aliarum, quam annulorum interventione fieri poſſe, non dubitatur; ſiquidem & Juda, nurui ſuæ Thamar, quam cum tectâ facie ſecus viam ſedentem deprehendiſſet, annulum ſuum, faſciam & baculum, ſeinen Ring/ Schnur und Hirtenſtab/ pignori dedit; donec hædum ex capris, ut promiſſerat, ad liberandum pignus ei miſiſſet. *Geneſ. c. 38. v. 14. & ſeqq.* Sic arrhæ dicuntur obſides filii Principum, quos ſolent in domibus Regum dare Arrabones, ne rebellent ei, quos vulgo *Oſtagios* appellant. *vid.* Speckhan. *Cent. III. claſſ. I. qu. X. n. 5.* Maxime tamen utuntur *annulis;* præſertim in ſponſalibus; quia *Bonfinius* hanc adfert rationem; quod duo animi, forma hac rotunda, indiſſolubili quaſi vinculo, ad perpetuam, & fine carentem conjunctionem, conſtringantur & copulentur. Iſidorus tamen *l. 2. d. divinis officiis* aliam adfert rationem, quod in primis nuptiis, annulus à ſponſo ſponſæ detur, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel ut eorum corda eodem pignore conjungantur. Sed verius & communius

Digitized by Google

placuit, annulum dari ſponſæ, majoris firmitatis gratia, uti jam ſupra dictum eſt, & ut ſit pignus, teſſera, vel ſymbolum, ſignum incurrens in oculos, & demonſtrans, eam puellam, cui annulus traditur, deſponſatam eſſe, Paulus Cypræus *in tract. d. jure connubiorum c. 11. §. 4. n. 1. & 2.* unde & in ſpecie quoque annulus pronubus & fidei appellatur *c. noſtrates 3. cauſ. 30. q. 5.* & quæ annulum in digitis defert, in dubio & controverſia præſumitur nupta. *c. illud quodque nobis innotuit 11. X. de præſumt.* Cui autem digito annulus ſit inſerendus de eo *vid. can. 7. cauſ. 30. q. 5.* Sed inter plures varias opiniones, quas Speckhan. *Cent. III. Claſſ. I. Quæſt. X. n. 14.* enumerat, illi tandem applicari poſſe, contendit, ubi minus eſt impedimento. Sed ſi ſponſus in eadem provinciâ degens, pactus fuiſſet, intra biennium nuptias exequi, & nihilominus differret; tunc puella alteri ſine arrharum amiſſione, recte nubere poteſt. *l. ſi is. 2. C. d. Sponſal.* Sin verò ſponſalia morte alterius diſſoluta fuerint: tunc is, qui arrhas accepit, illas non lucratur, ſed reſtituit. *l. arrhis ſponſaliorum 3. C. d. ſponſal.* quod & procedit, ſi inter perſonas, quæ de facto celebrarunt; vel ob conditionem perſonarum, aliamve ſimilem cauſam, legibus vel generalibus conſtitutionibus expreſſam, matrimonium conſtare nequit, Speckhan. *Cent. III. claſſ. I. q. X. n. f.* Tandem dictis his addimus *Proclamationem*, quam ex eo neceſſariam eſſe arbitramur, ut is, qui voluerit & etiam valuerit legitimum impedimentum opponere, poſt trinam eam proclamationem ſolenniter factam matrimonium impediturus haud audiatur, niſi ſe eam proclamationem ignoraſſe juret, Berlich. *P. 1. deciſ. 76.* Omnia enim hæc eum in finem com-

 parata

parata ſunt, ut ſtatui & perennitati conjugatorum conſulatur; ſi enim nulla externa declaratæ voluntatis ſigna intervenirent, facile fieri poſſet, ut ſponſa rurſus, maxime, ſi ea impoſterum, amplius non placeret, rejiceretur.

(12.) Sunt non raro probationes & fidem facientes publicam.

Quædam ſolennitates idcircò in teſtamento neceſſariæ non ſunt, ut teſtamentum validum in ſe & in conſcientiæ foro ſit; ſed ut illis tantummodo probetur legitime & ſufficienter in foro exteriori, utpote, quibus ſecluſis non aliæ admittantur. Videri poteſt h. l. Struvius *in Synt. Jur. Civ. Exercit. XXXII. th. 16.* Sic donationis & teſtamenti inſinuatio & apertura; oblatio pecuniæ in judicio; confirmatio hypothecæ *Nov. 15. c. 3.* ſunt negotia civilia & actus ſolennes & Jurisdictioni affines, quibus autoritas & confirmatio aliqua Magiſtratus accedere debet; eum in finem, ut publica nitantur fide. Similiter quoque huc facit inculpatæ vitæ teſtium aſſumtio, quando inſtrumentum aliquod publicum confici debet. *Carpz. P. 1. Conſt. 20. def. 2. n. 5.* Etſi enim Notarius perſona ſit publica & autoritate Judicis polleat, ipſi tamen vix eſſe adhibendam fidem aſſerunt, ſi non habeat ſuos teſtes, uti Judex ſuos Scabinos. Et quemadmodum Judex officium ſuum facile nemini communicat, niſi deeo rogatus; ita Notarius nulli, niſi ſuſpectum ſe reddere cupit, ſua officia ſpontè offerat *arg. l. 25. ff. d. procurat.* Lehr- und Geburths-Brieffe huc quoque pertinent & ſigilla; probant namque & habent vim ſubſcriptionis,

Ludov.

Digitized by Google

Ludov. Rom. *Conſil. 203.* & ex ſigillo conſenſus cognoſcitur *l. 2. C. d. reb. alien.* Siquidem ſigillatio approbationem inſtrumenti operatur, Rom. *Conſ. 303. num. 2* imo majoris virtutis, quam guarentigionatum, perhibetur; cum per ſigilli appoſitionem inſtrumentum inſinuatum dicatur. *vid. Barboſ. Axiom. ſub voce ſigillum.* Quæ omnia tamen ita intelligenda ſunt; ſi nimirum ex circumſtantiis colligi poſſit, à quo; cujus voluntate; & propter quid, ſigillum ſit appoſitum; aliàs enim, cum ſigillum nihil loquatur, ut res rationalis; *Cravett. Conſ. 46. p. 1.* ſed ſit mutus & teſtis incertus & regulariter abſque ſubſcriptione vel æquipollenti haud operatur; Modeſtin. Piſtor. *c. 10.* ut inde ſigilla quoque ignota fidem nullum faciant, etiamſi mille ſint, *per gloſſ. in c. 1. diſt. 98.* hinc ante omnia verificari debent, Menoch. *d. arb. jud. quæſt. c. 113. n. 9.* ut, probatis ſigillis, probata intelligatur veritas. Menoch. *d. l.*

(13.) Sunt admonitiones non minus de rebus neceſſariis.

Unde, cum olim in Nuptiis & matrimoniis novæ nuptæ in domum mariti deducerentur *l. 66. ff. d. donat. inter vir. & ux.* (à quo actu ortum eſt, ut uxorem ducere, de marito præcisè intelligamus,) *aquam & ignem* adhibebant, neceſſaria tanquam humanæ vitæ principia ac elementa; Et cum uxor domum mariti ingrediens, poſtes ædium inunxiſſet, oleo, quo lanam imbuerat: (unde, & uxoris nomen tractum eſſe perhibent, Rittershuſ. *in partit feudal.* p. 141.) *claves* à marito dabantur, de cura, cuſtodia & adminiſtratione ſuſcipienda, novam nuptam

Digitized by Google

ptam admonentes, quas in divortio adimebat, & in offenſione remittebat. Cic. Philip. 2. Sic in teſtationibus, adſtantes auriculam infimam apprehendebant, & quidem ter vellebant; qui mos auriculam teſtium vellicandi, non ſolum inter veteres Germanos uſitatus fuit, ſed diu quoque apud majores noſtros remanſit. *Plin. l. 11. c. 45.*

(14.) Solennitates quoque rectè introducuntur, ad veritatem inveniendam.

Nam amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas; maximè, cum ſit baſis ac juſtitiæ fundamentum. *vid. Axiom. Barboſ. ſub voc. veritas.* Hinc ad eam eruendam conducit *teſtium productio. v. Tepati Conſ. tit. 199. per tot. & Tortura;* veritas enim diligenter & acerrima indagine perſcrutanda eſt *l. 22. C. ad L. Cornel. d. falſ.* & quidem per illos, quos eam ignorare veriſimile eſt, *c. ult. X. d. offic. Archidiac.* ac proinde veritatem, quam ſciunt, manifeſtare tenentur, qui examinantur in inquiſitione, ne ullum falſum committant. *c. 10. X. de Accuſat.* deinde referenda huc eſt *Appellatio, ordo judiciorum &c.* veritas enim ſæpius examinata magis eluceſcit *v. Axiom. Barboſ. ſub voc. Veritas;* nam diſputando invenitur *l. 18. §. f. ff. d. muner. & bonor.* fieri enim poteſt, ut lateat veritas tot oculis ſpectata, totque inſinuata ſenſibus, ut ait Juſtinianus *l. 8. in f. C. qui teſtam. fac. poſſ.* Quanto itaque magis conteritur & oppugnatur, tanto clarior expulſis nebulis in lucem progreditur; ſicuti aromata magis redolent, quanto magis conteruntur, uti ait Caſſ. *Conſil. 23. Vol. 1.* quem ſecutus Cravett. *Conſ. 135. n. 18.*

Jura-

Digitized by Google

Juramentorum quoque formulæ huc ſpectare videntur, & quæ illis ſunt ſolennia. Veteres quidem lapidem ſilicem manu tenebant, ac deinde certis conceptisque verbis additis projiciebant, quod Jovem Silicem jurare, dicebant; & jurantes ad aram accedebant, eamque manu tangebant. Sed pro hoc ritu inter Chriſtianos receptum eſt, ut tangantur Scripturæ Sacræ; unde ſæpe tactis Sacroſanctis Evangeliis jurare dicitur. *vid.* Conradi Rittershuſii *Partit. Jur. Feud. p. 141. ſeqq.* Judæi jurant per verum Deum Adonai. Mulieres applicant manum dextram pectori ſiniſtro; interdum aperiuntur & clauduntur feneſtræ; adhibentur candelæ, caput mortui, pannus niger, gladius &c. omnia hæc ad veritatem inveniendam & in præmunimentum fidei & ſecuritatis, adeoque & ſuſpicionum, fraudis & affectuum declinandi cauſa.

(15.) Hinc ſerviunt quoque ſecuritati, cautioni, & præveniendis fraudibus, dirimendis contentionibus, litibus, dubiisque variis; ut ex iſtis ſervatis de vera mente, certa voluntate & conſenſu contrahentium poſſit melius atque certius conſtare; ne facile quis labatur aut pro vero falſum quid ſubjiciatur; nec pro liquida & bene deliberata voluntate præceps & inconſultus inſtinctus admittatur.

Hinc poteſt Princeps remittere, minuere, augere & multiplicare ſolennia atque cautelas, ſi fraus aliqua fortaſſis & fallacia appareat; ejus enim avertendæ prohi-

bendæ

bendæque gratia omnes iſtæ ſolennitates contractuum repertæ & introductæ ſunt; & tali in caſu nimia exactaque diligentia & ſolennitas, quam optimo maturoque conſilio leges iſtis accommodarunt, reprehendi nullo modo debet. *vid.* Sam. Puffendorf *Jus Naturæ & Gentium L. IV. cap. X. n. 7.* Inde Capitulatio illa in Imperatore electo conſtituta eſt, ut ſit jurata cautio, & temperamentum quoddam metuendi ſummæ poteſtatis abuſus, ac ſignum ecuritatis ſubditorum; ut certi fiant, leges, conſuetudines & privilegia ſua naufragia non eſſe paſſura. vid. Becman. *Synt. dign. IV. II. 2.*

(16) Ob iſtas pœnæ vel inferuntur vel evitantur.

Si quis facinus aliquod perpetravit, injuſte quidem fecit & culpa non caret; ſed cum talis pœna aliquâ afficiendus ſit; nec tamen de illa Jus Naturæ quicquam præſcribat; verùm potius legibus civilibus id relinquat; ideò certas ſolennitates, modos, ritus &c. excogitarunt, quibus huic, vel alii transgreſſori pœna arbitraria vel capitalis poſſit ingeri & inferri. Hinc incarcerationem, fuſtigationem, ſuſpendium & omnia pœnarum genera per externa aliqua ſigna infligenda, huc referimus, iis tamen modificationibus, ut rationabilitatem & proportionem circa pœnas ſpectandam, haud excludamus; male enim judicant non tantum de illa conſuetudine, cujus vigore carnificem, ſi primo ictu caput damnati non amputaverit, repente lapidibus obrui poſſe vulgò credunt; dum ex hac licentia enormia ſæpius facta proveniant; ſed hæc quoque ſolennitas aliis diſplicet, cum damnati ad mor-

tem

Digitized by Google

tem per aliquot dies ante exſecutionem cibo ac potu delicatiori paſci ſoleant; licet namque id per ſe injuſtum haud ſit, maximè ſi fiat, ut miſeriæ ſuæ obliviſcantur nec doloris recordentur; attamen cum non raro ad locum ſupplicii abeuntibus tantum vini porrigant, ut non modo doloris, verum etiam omnis rationis & orationis piarumque meditationum obliviſcantur, abuſum laudare poſſumus minimè.

(17.) Denique ſunt ſymbola rem repræſentantia, & inſinuantia eas hominum animis; quibus traditis res ipſa repræſentata & quodammodo tradita videtur.

Veteribus Romanis in iſtorum Symbolorum & rituum adhibitione magna fuit diligentia, ne dicam ſuperſtitio maxime in ſolennibus formulis ac ritibus ad omnes ferè actus legitimos adhibendis, quæ omnia dicis cauſa facta vocabant *lib. 4. ff. Commod.* & Perilluſtr. & Generoſiſ. S. I. R. Lib. Bar. de Lyncker in *Anal.* Conr. Rittershuſ. *Partit. Feud. p. 141. ſeqq.* Sic enim v. g. (1.) in manumiſſione tonſo ſervo dabatur pileus, velut inſigne libertatis; hinc apud Liv. ſervi ad pileum vocati dicuntur, & inter manumittendum alapa ſ. raphiſmate percuſſi vertigine quadam circumagebantur & apud Prætorem virga cædebantur; (2.) In uſurpatione, ſeu interruptione uſucapionis ſurculum vel ramum ex arbore defringebant, *Cic. orat. III.* (3.) in hæreditate, qui hæredem ſibi aliquem deligebat ac deſignabat, ſæpe annulum ſuum ei tradebat. (4.) In N. O. N. lapilli jactum adhibebant, quod etiam hodie conſtare ajunt. (5.) In oppignoratione pugno continge-

 bantur

bantur aut manu compreſsâ præhendebantur. *l. 238. ff. d. V. S.* pignus appellatur à pugno; quia res, quæ pignori dantur, manu traduntur; unde etiam videri poteſt, verum eſſe, quod quidam putant, pignus potiſſimum rei mobilis conſtitui. (6.) In ſtipulatione, dicta à ſtipula, veteres, quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam, quam tenebant, frangebant; quam ſponſiones ſuas agnoſcentes iterum jungebant. (7.) In poſſeſſione adipiſc. eſt effeſtucatio de qua Fred, à Sande (8.) In criminalibus rerum capitalium Judex, cum ſententia in reum aliquem pronunciata eſt, bacillum confringit, ut hoc ritu ſignificet, eodem quaſi modo vitam hominis illius, de quâ agitur, jam deſtructum iri & animam è corporis latebris per mortem violentam tradendam eſſe: qui mos approbatur à Carolo V. Imp. laudatiſſimo *in Conſtit. Crim. c. 96. & 97.* Alicubi & hodie hoc receptum ab antiquo eſt, ut capitali ſententia recitatâ, Aſſeſſores pariter & Judex ſellas ſuas omnes evertant terribili quadam ſpecie. Sic (9.) in Vaſallorum creatione ſ. in Inveſtitura Longobardi ſeu primi Feudorum inventores ad morem Romanorum ſolennitates quoque adhibuerunt & quidem pro diverſitate Feudorum varias atque diverſas. v. g. Adhibentur vexilla in inveſtitura feudorum regalium ſecularium, in quibus regionum, de quibus fit inveſtitura, inſignia ſolent eſſe depicta: his ab Imp. in præſentia Parium Curiæ traditis, ipſæ provinciæ vel ditiones traditæ cenſentur. Et vexilla ſunt ſymbola variorum periculorum, cum cœli injuriis pariter ac vi hoſtili imprimis pateant; Eminent in excelſis; itaque & regem eſſe eminentiſſimum; ac deinde, ſicut milites jurant ſe pro defenſione

ve-

vexilli acerba quæque ſubituros; ita ſubditorum cuivis pro ſalute Regis utramque fortunam ſubeundam eſſe. *v.* Becm. *VI.11.9.* Totidem qq. vexilla adhibentur in reſignatione ſ. deveſtitura, quot intervenere in Inveſtitura; ſicuti etiam in degradatione ſacerdotali eadem adimuntur degradato, quæ fuerunt collata inaugurato. Aliquando majoris ſolennitatis gratia etiam enſem Imperator adhibet, ita, ut illum porrigens capulum apprehendat atque extremum ejus oſculetur is, qui inveſtitur. *vid.* G. A. Struvii *Synt. Jur. Feud. c. VIII. aphor. V.* Sic de Epiſcopatu ſceptrum adhibetur eburneum vel baculus, aut baculus & annulus ſimul, ut tali pedo paſtorali officii ſui admoneantur Epiſcopi, quod gregem Domini paſcere debeant: ſicut annulo admonentur, quod deſponſata ſit ipſis Eccleſia; cui fidelem curam impendere debent. *d. b. Vid.* Speckhan. *quæſt. jur. Cent. III. claſſ. 1. quæſt. X. n. 13.* Pontifices Romani his ceremoniis non contenti Pallium Epiſcopale adinvenerunt, an ad aucupium pecuniæ an non? maximo enim pretio redimendum eſt illud ex lana & lino confectum dignitatis inſigne, de quo extat proprius tit. in Decret. *de uſu pallii.* Ejus deſcriptionem videre potes apud *Sleidanum l. 4. & lib. 13. Apud Polydor. Virg. l. 4. de rer. Invent. c. 12.* In renovatione Inveſtituræ Feudi tantâ ſolennitate non eſt opus ac in prima Inveſtitura ac nova. Sic (10.) inveſtituræ ſpecies fuit, quando Præfecto urbi tradebatur gladius: quod & Trajanum feciſſe conſtat; Hic enim optimus Princeps, cum gladium de more tradidiſſet Præfecto urbi, his eum verbis allocutus eſſe dicitur: Cape hunc gladium eòque pro me, ſi benè imperavero, ſin ſecus, contra me utitor.

(11.) In *promotionibus* & collatione dignitatum Academicarum, in creatione ſcilicet Magiſtrorum, Doctorum & qui medii inter hos ſunt Licentiatorum, & inauguratione Rectorum notæ ſunt ceremoniæ, quæ vero nihil aliud ſunt quam ſymbola, notæ ac inſignia cujusdam inveſtituræ, quibus illæ dignitates conferuntur & quibus publice docendi & diſputandi Jus in ſignum perfectionis & acquiſitæ doctrinæ illis commendatur; *vid.* Rittershuſ. *Partit. Feudal. p. 141. ſeqq. Vid. diſſertatio ſub præſidio* Petri Mülleri *habita anno 1657. de gradu Doctorum. cap. 4. & ſeqq.* Sic enim ait: ubi, petitâ & impetratâ à Cancellario poteſtate, Doctores publicè renunciavit & proclamavit Brabeuta ſeu Promotor, (1.) in *Cathedram* eos evocat, atque eo ipſo ſimul in quaſi poſſeſſionem omnium Jurium, privilegiorum, ornamentorum, eminentiarum, immunitatum atque dignitatum gradui doctorali conceſſarum, & quibus de Jure Doctores utuntur & gaudent, inducit ac immittit, fiduciaque doctrinæ acquiſitæ poſthâc eis jus & poteſtatem impertit ſtandi in cathedra; Nam Cathedra velut inveſtitura quædam & poſſeſſionis traditio eſt, quæ illud jus eamque poteſtatem, quam modo dixi, denotat atque concedit *c. fin. diſt. 40.* quam cathedram ut ornent, monentur. Nam cathedra per ſe non facit Doctorem; ſed cathedram Doctor. *d. c.* (2.) *Liber* eis traditur, quo ſubindicare Promotor vult, omnem ſcientiam ex libris quærendam, & hauriendam eſſe, nec quenquam ad ſublime Doctoris faſtigium aſcenſurum, niſi qui libros multa ſedulitate evolverit atque revolverit: Ac primò quidem exhibetur *clauſus*, in ſignum ſapientiæ in ejus corde & pectore clauſæ, admoneturque eo ipſo Candida-

tus

tus doctrinam in libris expreſſam, non tantum in chartis legendam, ſed & memoriæ infigendam eſſe, & ut ſignificetur etiam absque libris eos ſapere, & in ſcrinio pectoris ſui conditam ſapientiam geſtare opportere, ut poſſint, cum opus ſit, etiam non inſpectis libris conſulenti reſpondere & Doctoris obire munia. Mox ille *aperitur*, ut intelligant perpetuo ſtudio & lectione ad ſalutarem ſcientiæ ſuæ profeſſionem & tractationem opus eſſe, nec nimium eruditioni & memoriæ ſuæ fidendum; ſed hujus infirmitatem & lapſum inſpectione librorum præcavendum, emendandum & adjuvandum; ſiquidem omnium habere memoriam & in nullo penitus peccare, divinitatis potius quàm mortalitatis eſt. §. *ſi quid autem 13. d. confirmat. ff.* Quin una monere eos Promotor vult, non jam impetratis Doctoris honoribus, eſſe otio danda corpora, ſed cùm quicquid ſcimus, eorum, quæ neſcimus, pars ſit minima, ſemper aliquid diſcendum eſſe, ſemper evolvendos libros exemplo Pomponii JCti, qui jam octo & ſeptuaginta annorum eam vivendi rationem optimam ducebat, diſcendo conſeneſcere, memor ejus, qui dixiſſe fertur: Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην: etiamſi alterum pedem in tumulo haberem, tamen non pigeret aliquid addiſcere. *l. 20. ff. d. fideic. lib.* (3.) *Pileus* Doctoris imponitur capiti, quod pars humani corporis eſt præcipua, & ſedes ac domicilium ſcientiæ & eruditionis *l. 44. ff. d. relig. & ſumt. fun.* nam ſpectatæ virtutis & libertatis indicium eſt & inſignem Doctoris eminentiam arguit *dicta diſſert. cit. loc.* (4) *Annulus* aureus digito Doctoris applicatur, quo ei ſcientia quaſi deſpondetur & reſponſa ſua conſulentibus data obſignandi poteſtas conceditur. Olim

Digitized by Google

aureus annulus equeſtris dignitatis ornamentum & hieroglyphicum erat & à plebe ſeparabat equites, nec facile cuiquam, niſi ob inſignem & ipſa re ſpectatam virtutem, inprimis militarem, jus annulum aureum geſtandi datum *Cic. Verr. 5.* Ita recens creatus Doctor in inſignem quendam honorem, equeſtri dignitati minimè inferiorem, ſubvehi & cæteræ plebi eximi cenſetur. Porro figurâ annuli eundem monere debet, ut ſit rotundus in actionibus ſuis; ſit perfectus, neminem obliquo verborum circuitu, aut flexuoſis ambagibus circumveniat: materia, ut ſit ſincerus, ut ſit puræ & incorruptæ juſtitiæ, quam apud *A. Gell. lib. 14. c. 4. noct. att.* depingit Chryſippus, miniſter, & deteſtetur non ſincerum illum Philoſophum apud eund. *Gell. lib. 5. c. 3*, qui profitebatur, ſe id docere, quanam verborum induſtria cauſa infirmior fieret ſuperior. Annulus non admittit angulum, non defectum, ita ille non committat, quo unquam à recta & juſtitiæ conformi ſententia ſeſe patiatur abſtrahi, ſecutus exemplum Principis JCtorum Papiniani, qui tanquam Promartyr Sacerdotum juſtitiæ mortem præſentem oppetere, quam ſcelera & parricidia flagitioſiſſimi Principis ſui Antonini Caracallæ defendere maluit, & voluntatem ſuam ultimam veluti teſtamento quodam nuncupativo Juris peritis omnibus, potiſſimum eis, qui conſiliis Principum admoventur, commendavit dicendo; facilius patrari ſcelera Principum, quam aſſentando defendi aut excuſari. Hanc Cygnæam morituri JCti optimi cautionem veluti ex tripode profectam accipiant, caveantque ſedulo, ne veram, quam profiteri ſe jactitant, philoſophiam in ſimulatam convertant. Tandem & ipſi oſculo excipiuntur,

de

de quo vero jam antea dictum; & totus actus benedictionibus atque fauſtis apprecationibus clauditur. (12.) Tandem in Creatione Notarii Comes Palatinus nomine Cæſaris adhibet inſtrumenta, quibus eum inveſtit de notariatu v. g. pennam, calmarium, annulum, infulam, ſigillum in ſignandis inſtrumentis uſitandum, & tandem diploma & teſtimonium, quo ſuam legitimet: perſonam absque enim illo nullus habetur pro legitimo. Menoch. *l. 2. præſ. 78. n. 2.*

VII. Solennitas conſtituta finem propoſitum per obſervationem conſequitur. Obſervari hinc ea debet (1.) ab illis qui non eximuntur, (2.) in actum antecedentibus, concomitantibus vel etiam conſequentibus, (3.) ſecundum conſuetudinem & ſtatutum illius loci, ubi actus celebratur.

(1.) Idcirco ſi Papa mandat fieri alienationem, ſolennitas in alienatione Eccleſiaſticarum rerum requiſita non habet locum. Capic. *deciſ. 16.* Et num Princeps, qui aliàs legibus civilibus ſolutus eſſe videtur, ad ſolennitates in modum privatorum obſervandas obſtrictus ſit, dubitatur, *apud* Dn. Schvved. *in Jur. Publ. P. S. ſect. II. c. XVII. n. 40.* & Perilluſtr. & Generoſ. S. I. R. Lib. Bar. de Lyncker, *h. l. in Anal.* An verò ſolennitates locales & ſtatutis locorum præfinitæ, ligare etiam poſſint Judicem, ſuperioris locum in civitate tenentem, ventilatur: eò, quod is ratione officii, ut Magiſtratus, ſtatutis loci obſtrictus non ſit; ſtatuta enim non niſi ſubditum ligant. *l. 9. ff. d. J. & J.*

Sed

Sed cum duplicem perſonam Magiſtratus ſuſtineat, propriam ſc. ex ſua perſona, & alienam, ratione officii, quod gerit; hinc licet hoc modo ut Magiſtratus ſtatutis obſtrictus non ſit; iisdem tamen tanquam privatum ſubjici, docet Carpz. *P. 3. Conſt. 12. def. 17.* *Miles* quoque adeò obſtrictus non eſt ſervare ſolennitates, v. g. in teſtamento, quia illæ ipſi remiſſæ, *pr. &* §. *1. Inſt. de mil. teſtam.* milites enim utilitatem præſtant Reipublicæ, duritiem pro nobis ſuſcipiunt, mala à nobis arcent, in periculo & vitæ diſcrimine conſtituti ſunt, occupati de rebus militaribus nec locum nec tempus habent commodum. Caſp. Manz. *Comment. ad Inſt. p. 422.* *Ruſticus* teſtaturus omnia obſervet legalia ſolennia, præter numerum teſtium; Parochus enim duoque teſtes alii hîc modo ſufficiunt; teſtes nimirum ad probationem, Parochus verò ad fraudes & calumnias teſtium vitandas adhibetur. Richter. *deciſ 26.* *Minor* non tenetur obſervare ſolennitates in ſuo contractu favorabili, nec poteſt, ſi non adhibeantur, qui cum eo contraxit à contractu recedere. *Et viduarum, pupillorum, peregrinorum, pauperum, & ſimilium perſonarum miſerabilium* cauſæ, ſæpius ſine ſolennitate determinantur; *ex diſpoſitione conſt. antiqu. Sabaudiæ tit. cauſ. ruſtic. l. 2. f. 35.* Nec *mercatores* denique in ſuis cauſis meras & nudas juris civilis ſolennitates obſervare teneri volunt Marqu. *d. Jur. Com. p. 459.* (2.) In præparatoriis actibus, & per quæ ad ipſum actum pervenitur eadem fere ſolennitas eſt adhibenda, quæ in ipſo negotio principali requiritur, uti tradit Schrad. *d. Feud. part. 5. c. 1. n. 14. L. oratio. 16. ff. d. ſponſal.* Solennitas verò, quæ in ipſo negotio requiritur, ab actu ſeparari aut ex poſt facto intercedere nequit, *l. 9. §. 5. ff. d.*

ff. d. auct. tut. & *l. 28. C. de Teſtam.* & ſolennitas, quæ inprimis pro forma introducta eſt, tanquam ipſa forma ſtricte ſervanda eſt, adeò ut nihil cenſeatur actum, ſi poſt tempus offeratur. Reincking. *de retract. conſangu. qu. 7. n. 20.* & quicquid actus gerendi forma conſtituitur, ſi omittatur in minimâ parte, totus actus corruit, quia de ſubſtantia eſt. Carpzov. *p. 3. Conſt. 3. def. 24. n. 6.* deinde ſolennitas, quæ requiſita in actu faciendo, requiritur etiam in eo reparando, reficiendo aut renovando *l. 7. C. d. nupt.* Schrad. *d. Feud. part. 9. p. 2. princ. ſect. 14. n. 36.* Gail. *II. obſ. 61. n. 5.* Boër. *deciſ. 211. n. 21.* Ubi tamen limitationem addunt, quod non procedat, ſi à tyranno, vel tempore belli ab hoſtibus, Eccleſia vel civitas deſtructa, aut caſtrum dirutum ſoloque æquatum ſit; tantum enim abeſſe, ut illa jura ſua amittant, ut potius alio loco reſtauratæ eadem retineant, nec, ajunt, procedere in actu ratificando *per l. 5. C. de Nupt.* & *ad banc Brunnem.* nec declarando, quia nihil facit novi *l. 21. §. 1. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Et tandem eadem ſolennitas, quæ requiritur ad actum conſtituendum, requiritur ad diſſolvendum; quia corruptio & generatio à pari procedunt, & ejus eſt ſolvere, cujus eſt ligare. *l. nemo. 37. ff. d. R. J.* & nihil tam naturale eſt, quam eo genere, quo quid colligatum eſt, diſſolvere *l. 35. ff. d. R. J.* adeò ut etiam procedat in revocatione, diſtractione, & prorogatione, quæ fuit neceſſaria in conſtitutione. *l. 50. ff. d. Solut.* ideo minor non poteſt infirmare inſtrumentum ad ſui favorem factum, neque illi renunciare tanquam contractui ſimulato, niſi cum ſolennitate requiſita ad contrahendum & ſeſe obligandum. Tuſchius *Pract. Concl. Jur. 328. tom. 7.* Si tamen teſtamentum prius

F ſolen-

ſolenne rumpatur per nuncupativum, ſufficit, ſi illâ ſolennitate in genere requiſita iterum tollatur, licet non ſpeciali, & quæ ex abundanti fuit adhibita. Richter. (3.) Solennitas fiat ſecundum conſuetudinem loci; quia actus ſolennis judicialis vel extrajudicialis ſortitur eſſentiam ſecundum legem loci, ubi fit. *l. 34. ff. d. R. J. l. 1. C. d. Emanc. lib. & l. ſi fundus. 6. ff. d. Evict. l. 2. C. quemadm. teſtam. aper.* Carpzov. *p. 3. Conſt. 6. def. 12.* Gail. *2. obſ. 123.* Statutum enim principaliter habilitat vel inhabilitat actum vel contractum, & obligat etiam non ſubditum, *l. 9. C. d. Teſtam.* nec movet, quod ſtatuta loci non pertineant ad forenſes; ſiquidem id in perſonalibus, & ſi in idem conſenſerint tacite vel expreſſe, & in his quæ voluntariæ Jurisdictionis ſunt, non procedit. Carpzov. *p. 3. d. 12. n. 6.* Richter. *dec. 12. n. 1.* attamen ſolennitates ſtatutariæ in actu voluntariæ Jurisdictionis requiſitæ non requiruntur in actu, qui fit ex neceſſitate. Sigism. Scaccia *d. Jud. 2. p. c. 2. n. 533.*

VIII. Omitti & negligi ſolennitates non debent, niſi in caſibus earum omiſſio excuſetur.

Solennitates omitti non debent, quia earum omiſſio nocet, maximè ſi ſolennitas ſubſtantialis ſeu gravis, aut quæ à legibus tanquam forma introducta eſt; quia actum & proceſſum reddit nullum *l. 8. §. 17. ff. d. Transact. l. 9. §. 3. ff. ad exhib. l. 4. C. d. Jur. Fiſc.* Bocerus *d. inveſt. feud. c. 4. n. 54.* adeò, ut, una ex talibus ſolennitatibus neglecta, totus actus ſit nullus *c. 22. X. d. reſcript.* ita, ut ſecundum præceptum divinum *Deuter. c. 12.* nec quidquam addendum

dum vel detrahendum, etiam in parte minima, *ex l. 9. §. 3. ff. ad exhib.* Boër. *deciſ. 1. n. 45.* Nec partes renunciare poſſunt illis; cum hic conſenſus eorum nil operetur, nec illis per pactum derogetur; quia illud, quod eſt de forma, ob publicam utilitatem introductum eſſe videtur. Ozaſch. *deciſ. 172. n. 1.* uti hoc patet in ſubſtantialibus judiciorum, Guid. Pap. *ſing. 177.* in juris ordine, Bartol. *in l. Societatem. 77. §. arbitrorum ff. pro Socio.* in prohibitoria conſtitutione, Anton. Corſet. *in ſuis ſingul. lit. P. ſing. prohib.* & in ſolennitatibus quibusdam teſtamenti. Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. XXXII. th. XVI.* Exceptio tamen & excuſatio omiſſionis admittitur, (1.) ſi ſolennitas fuit levis. *l. 1. §. f. ff. de vent. inſpic.* ubi tamen leve videri non debet, quod ſæpius obſervari jubet lex vel conſuetudo. Tiraquell. *d. retract. §. 3. gloſſ. 1. n. 4.* (2.) Si conſuetudo & jus ipſum remittit. Boër. *deciſ. 1. n. 22.* de ſolennitatibus enim omittendis absque juris autoritate nil quicquam temere ſtatuendum, aut adſeverandum; hinc ſolennitate juris remiſsâ, teſtes ſine juramento examinari poſſunt, illisque fides adhiberi. Scaccia *d. Jud. c. 38. n. 37.* (3.) Si Princeps remiſerit, confirmet, aut interveniat. *l. 19. C. d. Teſtam.* Principis enim præſentia nonnunquam actum, qui ob defectum ſolennitatum nullus eſſet, ſupplet, reſtaurat, & validum reddit, vi ſuæ poteſtatis, etiam invito tertio. Coler. *Conſil. 28. n. 201.* Mæv. *deciſ. 81. num. 4.* (4.) Si neceſſitas poſtulat, excuſatur ſolennium omiſſio: v. g. ſi periculum eſt in mora aut damnum immineat. *l. Lex quæ. C. d. admin. tut.* hinc, ſi in via vel navi moribundus quis teſtetur absque ſolennitate, excuſatur; vel ſi tempus peſtis, belli tumultus, nox aut aliud factum & im-

Digitized by Google

impedimentum inopinatum interveniat. (5.) Si in notoriis verſatur, & jus & veritas ſtatim apparet ſine proceſſu & ambagibus, & quando in cauſa de plano & ſine ſtrepitu & figura judicii peragitur, Dec. *Conſil. 449.* uti in dem Standrecht/ quod unico die ſæpius abſolvitur. (6.) Si omiſſio ſolennitatis absque annullatione actus tendit in alicujus favorem. *l. 14. d. procurat.* Brunnemann. *in l. neque tutoris. 7. C. d. contr. & com. ſtip.* (7.) Si ex bono & æquo agitur, *l. 183. ff. de R. J.* cujus exemplum extat in teſtamento inter liberos, quod ſubſiſtere poteſt nullis etiam teſtibus adhibitis, utut numerus teſtium ſeptenarius ad ſolenne teſtamentum requiratur, *l. hac conſultiſſima 21. C. d. teſtam.* cujus mentem plenius exponit Gail. *2. obſ. 12.* cui adſtipulatur Marcellus, ubi etiam minori ob magnum damnum ex æquitate ſubveniri debere perhibet *in l. divus 7. ff. d. reſtit. in integr.* (8.) Si juramento ſuppleri poteſt. hinc tradit Tuſch. *Pract. concl. jur. 333. tom. 7.* quod remiſſio à partibus excuſetur, ſi ſolennitas reſpiciat privatam utilitatem, non perſonam, ſed actum; quia, ait, ubi conſenſus non prohibetur, ſed actus frangitur, juramentum operatur; niſi diſpoſitio formalis, vel inducens ſolennitatem, tollat juramentum præciſe, & conſenſum; quia ubi deficit conſenſus, juramentum invalidum eſt, etiam in diſpoſitione inducente ſolennitatem favore publicæ utilitatis, & in ſolennitate intrinſeca; quia renunciari non poteſt formæ, & ſolennitati introductæ favore publico. *l. jus publ. 35. ff. d. pact.* In alienatione rerum minoris ſupplet defectum ſolennitatis juramentum à minore præſtitum, *per diſpoſitionem auth. Sacramenta puberum C. ſi adverſus venditio-*

ditionem. (9.) Si nullus dolus ſubeſt aut præſumitur *l. 7. C. d. agric. & cenſ. lib. XI.* Hinc Notarius ſolennitates ad officium ſuum pertinentes omittere non debet; quia omiſſio ſolennitatum in officialibus vitiat actum, & inducit dolum. *l. 92. ff. d. R. J.* quia mala fides præſumitur interveniſſe, & ſi hoc contingat in teſtamento, poteſt puniri de falſo *l. 29. C. d. teſtam.* & ad intereſſe teneri. (10.) In relictis ad pias cauſas ceſſat quoque ſolennitas. *vid.* Scharpf. *Cent. 1. Conſ. 31.* (11.) Si ſolennitas requiſita tendat ad certum finem, isque etiam ſine illa haberi poteſt, caſu hoc formam per æquipollens ſuppleri, ſufficit. Freudenb. *d. reſcript. morat. tit. 8. concl. 49. n. 186.* (12.) Si per curſum temporis ſuppleri poteſt. *l. f. C. ſi maj. fact. rat.* (13.) Si mors intervenerit, v. g. mors ſupplet ſubſcriptionem & ſigillationem in inſtrumento omiſſam. Gail. *2. O. 43. n. 5.* (14.) Tandem denique ſolennitates ſuperfluæ excuſantur; illæ enim actui adhibitæ, ſive remaneant, ſive deficiant, nec proſunt, nec abſunt; actus enim ſuperfluus etiam impertinenter factus, vel ineptè adhibitus, rem geſtam non vitiat. *l. 65. ff. d. V. O. l. 17. C. d. teſtam. l. 32. §. 6. ff. d. aur. leg. l. 26. in f. de admin. vel transf. leg. l. 21. ff. d. teſtam. l. un. pr. C. d. rei ux. act. l. 3. ff. d. teſtam. mil.*

IX. Probationem ſolennitatis quod attinet, ſtatuendum eſt, quod probent eam illi, qui adhibitam aſſerunt, & qui omiſſam eſſe

Digitized by Google

Bar. de Lyncker *deciſ. Cent. 18.* (2.) Inſtrumentum quoque probat, ſi in illo hæc exprimatur *Ægid. Conſ. 1. n. 15.* (3.) Teſtes, v. g. ſolennitas apochæ, juxta formam *l. ſcripturas 11. C. Qui potior. in pignor.* videlicet, quod fuerit ſubſcripta à tribus teſtibus, probatur per duos teſtes, quia, licet ad probationem requiratur ſubſcriptio trium teſtium, tamen duo ſufficiunt ad probandum, ſolennitatem interveniſſe, videlicet, quod tres teſtes ſubſcripſerint. Tuſch. *Part. concl. jur. 327.* (4.) Licitum tamen etiam probare non adhibitam Maſcard. *concl. 1321. num. 20.* Menoch. *l. 3. præſ. 132. n. 21.* Hinc aſſertioni (1.) Judicis non ſtatur, ſi probabilius ſit aliunde, eam fuiſſe omiſſam, nec adhibitam *per Cap. 1. X. d. reb Eccl. alien.* Menoch. *lib. 2. præſ. 68. & 75.* Nec (2.) inſtrumento creditur, ſi requiſita ſpecificatio ſingulorum actuum de ſolennitate in illo non expreſſa ſit, quanquam dicat, omnia ſolenniter, vel legitime facta eſſe; quia ſunt verba juris, in quibus & eorum confeſſione nemo ſibi præjudicat. Oldr. *Conſ. 262. n. 4.* Crav. *Conſ. 29. n. 2. & 3.* ſic unio legitimè facta non probatur, niſi exprimatur actus, & ſpecialiter fiat enunciatio; quia enunciatio in generali non afficit. *d. l.* ſimiliter, ſi (3.) teſtes rejiciantur, vel ob eorum inhabilitatem, vel quod non cenſeantur liquido ſcire veritatem, aut ob aliud impedimentum latius expreſſum in legibus *V. tit. de Teſtibus.* Tandem ſi rurſus (4.) probatio in contrarium admittatur, aut lex ſolennitates adhibitas fuiſſe tantùm *fingat;* fictio namque pro veritate habetur. *l. 1. §. 1. C. d. rei ux. act. & l. cum oſtendimus. 4. §. fin. ff. d. fidejuſſor. & nominator.* Maſcard. *concl. cit. n. 14. & ſeqq.*

X. Præ-

X. Præſumtionem ſolennitatis quod attinet, notandum, eam hic conſiderari in genere, & in ſpecie.

In genere ſi conſideratur ſolennitas, præſumitur ea adhibita eſſe (1.) toties, quoties actus vel contractus *in favorem* alicujus certam ſolennitatem requirit, *l. 19. ff. d. lib. & poſthum.* quia favor eſt ampliandus & extendendus *c. dilect. 6. de donat.* Dec. *Conſ. 49. col. 3. conſ. 67.* (2.) Præſumitur, quando agitur de *acquirendo, l. ſi filius 10. C. d. pet. hered.* non verò, de *amittendo.* Tuſch. *Pract. concl. jur. 322. tom. 7.* aut ſi ad præjudicium tertii, & damnum alterius non vergat. Alex. *Conſ. 1. n. 20.* Maxime verò, ſi (3.) concurrat *temporis diuturnitas*, quæ operatur, quod omnia præſumantur ſolenniter acta, & bene geſta. Boer. *deciſ. 124. n. 17. 18.* in dubio, non vero in claris. Verar. *deciſ. 28. part. 1. n. 3.* inprimis, ſi tale ſit tempus, quod requiritur, aut cujus initii memoria non extat. *Dec. Conſ. 409. n. 13.*

In ſpecie vero præſumitur ſolennitas intrinſeca & extrinſeca, ſi non admittatur limitatio.

Hinc intrinſeca ſolennitas præſumitur ex natura actus & verbis. Maſcard. *Vol. 3. de præſ. & prob. concluſ. 1314.* Neap. *4. dig. tit. ſolennitas. cap. 3. 4. 5.* Menoch. *de præſumt. lib. 3. c. 32.* Carpz. *part. 2. c. 2. def. 32.* Tuſch. *Pract. Jur. conc. 320. tom. 7.* Videatur etiam Scipio Genti-

Digitized by Google

fidejuſſiſſe, videntur omnia ſolenniter acta, h. e. præſumitur interpoſita ſtipulatio, ſine qua fidejuſſio non conſiſtit, *l. 5. ff. d. V. O.* (2.) Si dicitur aliquis caviſſe, præſumitur adhibita ſtipulatione, quia eſt intrinſecæ ejus ſolennitatis, promiſiſſe. *l. 1. C. d. contrah. & commit. ſtip. & l. ſancimus C. d. V. & R. ſignif.* (3) Affirmans ſe inveſtitum præſumitur præſens fuiſſe: cum inveſtitura includat præſentiam, *Menoch.* (4.) Si quis dicit, uxorem ſe duxiſſe, omnia feciſſe præſumitur, quæ matrimonio contrahendo ſunt neceſſaria *l. cui fuerit 15. ff. d. condit. & demonſtr.* (5.) Si dicitur aliquis juraſſe, præſumitur id feciſſe ſolennibus ſervatis. Jo. de Im. *Conſ. 86.* (6.) Si Notarius dicit, ſcripturam ſuam eſſe authenticam, præſumitur, quod de ea rogatus ſit; cum authentica illa dici non poſſit, niſi de ea rogatus ſit. Ægid. *Conſ. 1. num. 15.* (7.) In contractibus, qui ſolùm jure ſpeciali ſuſtinentur. Menoch. *c. 6.* (8.) Non ſolùm in actu principaliter geſto valet, ſed & in actu enunciato; e. g. ſi in inſtrumento vel aliâ obligatione, utut non principali, mentio ſit, actum aliquem fidejuſſionis celebratum fuiſſe, tunc ex tali enunciatione præſumitur ille actus, & fidejuſſio eſſe celebrata, ſolenniter, & non omiſſa ſtipulatio. Menoch. *c. l.* (9.) In ſolennitate materiali v. g. ſi quis dicit, ſe aliquid vendiſſe, præſumitur hîc conſtitutum fuiſſe pretium. Alii quidem dicunt, hanc eſſe ſubſtantiam, non ſolennitatem; aſt hæc extenſio intelligitur, niſi contingat diſputari principaliter de juſto ipſo pretio: nam tunc non ſufficit hæc implicita confeſſio, ſed probari debet ipſum pretium. *Scip. Gentil. dict. loc.* Aſt *intrinſeca ſolennitas non præſumitur,* (1.) ſi extant con-

contrariæ probationes, vel efficacior aliqua præſumtio, quatenus quidem aliqua admittitur. Maſcard. *concluſ. 314. n. 20.* (2.) Si qualitas actus ex loco, & tempore repugnat; quia non veriſimile, eo loco, & tempore potuiſſe intervenire. Maſcard. *d. prob. concl. 1314. n. 15.* & ſi verbum, alioquin aptum ad ſignificandum ſolennitatem intrinſecam, repugnat naturæ actus, e. g. ſi verbum, *promitto*, poneretur in contractu innominato, ut eſt permutatio: nam tunc non præſumitur ſolennitas intrinſ. nempe ſtipulatio. (3.) Si lex, vel ſtatutum vult eam ſolennitatem expreſsè probari, Maſcard. *d. l. n. 16.* vel per teſtes, aut per ſcripturam. Etiamſi namque lex præ oculis habeat ipſam præſumtionem juris, quæ alioquin ſufficit; attamen ea requirit probationem, ex relat. Maſc. *d. l. n. 16.* Menoch. *præſ. 132. n. 16.* (4.) Si lex requirit, actum fieri certa ſolennitate in ſcriptis, ad finem probandi. Alex. *Conſ. 50. n. 5.* (5.) Imo, ſolennitas ſubſtantialis, quæ reſpicit juſtitiam tituli, ex diuturnitate temporis non præſumitur. Capic. *deciſ. 16.* Ozaſc. *deciſ. 171. n. 4.* *Deinde, ſolennitas extrinſeca præſumitur*, & regulariter quidem, ſi in actu ipſo expreſſa ſit. Maſc. *vol. 3. prob.* e. g. (1.) Si hæc ſolennitas expreſſa in actu, eo tempore confecti actus, veriſimiliter adhiberi & intervenire potuit. Zaſ. *ad L. ſciendum 30. ff. d. V. O. n. 25.* (2.) Quando is, contra quem allegatur ſolennitas hæc extrinſeca, nihil opponit, nec contradicit, negando adhibitam eſſe; ſi enim defectus ſolennitatis

Digitized by Google

hæc enunciata eſt à viro ſummæ fidei, & procedit de modico præjudicio. Matheſilan. *ſing. 12. n. 3.* *adde* Hontem. *2. art. Notar. c. 5. n. 23.* ubi undecim limitationes *addit.* Maſc. *de prob.* (4.) Quando adverſarius, qui convenitur ex contractu, negavit ipſum contractum, & deinde de mendacio fuerit convictus, *per l. 10. § 1. ff. d. fidejuſſ.* (5.) Quando in ipſo contractu adhibitum fuit juramentum, quod omnia fuerunt rectè & ſolenniter geſta. Anton. de Butr. *in cap. quod ſicut de Elect. & in cap. ſi dilig. de foro compet.* Supplet enim hoc interdum ſolennitates alioquin requiſitas. *vid. Axiom. Jurid. Barboſ. ſub voce Solennitas.* (6.) Si agitur de ſolennitate tacitâ, quæ ſub expreſsâ continetur. v. g. ſi teſtis affirmat, ſe fuiſſe præſentem publico examini alicujus doctoratus, præſumitur etiam privatum examen præceſſiſſe; cum ſub publico comprehendatur privatum. Menoch. *d. l. n. 14.* (7.) Quando ex clauſula contractus colligi poteſt ſolennitas totius. Menoch. *c. l. n. 43.* & actus confirmatus eſt, & intervenit decretum judicis. *Speculat. in tit. d. emt. vend.* aut judex judicialem actum faciat. Socin. *in tr. fallent. reg. 463. l. 5. C. d. præd. min. l. 5. §. 1. ff. d. probat.* quod & de arbitro dicit Barboſa *lib. 17. c. 37. ax. 3. lim. 5.* Cæterum in *alienatis rebus civitatis* præſumitur adſuiſſe conſenſus 1.) Principis; quia requiritur, *l. 3. C. d. vend. reb. civ.* licet namque Princeps liberam adminiſtrandi poteſtatem conceſſiſſet oppidano ſenatui; facultas tamen adminiſtrandi, alienandi licentiam involvere nequit. 2.) Civitatis, Senatûs, civium aut deputatorum. 3.) Juramentum, quo, re bene inter ſe diſcuſſa, alienationem civitati exiſtimârunt utilem. Menoch. *Conſ. 726.* 4.) Prævia ſubhaſtatio; ne opponi ali-

quando

Digitized by Google

aliquando poſſit, viliori pretio, quam par erat, rem eſſe diſtractam; per ſubhaſtationem enim verum rei pretium indagari ſolet. Surd. *Conſil. 28. n. 82.* Menoch. *d. arbit. Jud. l. 2. caſ. 171. n. 27. l. 16. C. de reſc. emt. vend.* 5.) Scriptura confecta, ſeu ſolenne alienationis inſtrumentum, v. Illuſtr. Dn. Stryckii *tr. d. caut. contr. p.* [illegible] Sic in *alienatione rerum Eccleſiæ*, præſumuntur adfuiſſe ſolennia juris canonici, eaque ſtricte obſervata; quia, quantum ad Jura eccleſiarum; ex Jure Canonico ſemper deciſio capienda eſt. Klock. *vol. 1. conſil. 35. n. 262.* non obſtante, quod Eccleſia Cathedralis, capitulum vel monaſterium, jam Evangelicæ religioni addictum ſit, v. Illuſtr. Dn. Stryck. *de caut. contr. p. 35.* Aſt limitatio eſt adhibenda circa prædicta, & dicendum, quod *regulariter ſolennitas extrinſeca non præſumatur, l. ſciendum 30. d. V. O.* Gail. *2. O. 71. n. 5.* niſi (1.) extat temporis curſus; ſic ſi, qui aſſerit, ſolennitatem extrinſecam adhibitam fuiſſe, eſt in poſſeſſione ipſius actus. e. g. quando quis non multo tempore emit à minore, vel ab eccleſia, & aſſerit, requiſitas à lege ſolennitates in contractibus minorum & eccleſiæ fuiſſe adhibitas, non præſumuntur abſque curſu temporis. Menoch. Tuſch. *Pract. concl. jur. 326. tom. 7.* (2.) Quando extrema ſunt probata. v. g. ſi probatum, eſt beneficium, patronatum vacaſſe, & clericum ab epiſcopo inſtitutum; non præſumitur media ſolennitas extrinſeca, ſc. præſentatio à patrono facta. *ant. cit.* (3.) Non præſumitur, quæ communi-

Digitized by Google

(4.) Si eſt contra jus commune; ut diſpenſatio, quæ non præſumitur curſu temporis; ut: ſi quis diu poſſedit duo beneficia incompatibilia, vel ſi ætate minor, vel alia de cauſa incapax poſſedit beneficium, & allegat diſpenſationem ſibi conceſſam eſſe. Menoch. *c. l.* (5.) Quando alia efficaciori præſumtione conſtaret, ſolennitatem hanc extrinſecam minus legitime fuiſſe adhibitam; quia præſumtio, ut cedit veritati; ita etiam cedit efficaciori præſumtioni. *l. divus. 7. ff. de in integr. reſtit.* (6.) Si ſolennitatis probatio eſt poſita in conditione; nam tunc conditio nihil ponit ineſſe, niſi eâ exiſtente. *l. 8. ff. ſi quis omiſſa cauſa. l. 213. ff. d. V. S.* (7.) Quando non apparet de ſcientia & patientia ejus de cujus præjudicio agitur *l. 10. C. d. pet. hered.* (8.) Quando quis ſcivit actum; ſed tamen impugnare non potuit. v. g. qui adire non potuit hæreditatem, nec curſu temporis adiiſſe præſumitur; quia non valenti agere nulla currit præſcriptio. *l. 1. §. ult. C. d. annal. exc.*

XI. Tandem ad ſolennitatum affinia, quæ ex ſuperioribus quodammodo patent, refertur conſuetudo & ſtylus curiæ.

Differt ſtylus à conſuetudine; (1) quod ſtylus ſit in ſcribendo; conſuetudo in aliis actibus, (2) ſtylus verſatur circa modum procedendi in judicio; & conſuetudo circa definitionem deciſionemque cauſarum, (3) ſtylus eſt particularis; conſuetudo generalis, (4) ſtylus tantum introducitur ex actibus judiciariis; conſuetudo tam ex actibus extrajudiciariis, quam judiciariis. vid. And. Vallenſ. *Paratitla Jur. Can. lib. 1. tit. 4. §. 4.* & autores alios. Plura hic tradenda eſſent; ſed tempore & ſpacio chartæ excluſi, abrumpimus. Dabit tempus aliud, resque locusque plura & meliora.

S. D. G.

IA 1521481

Digitized by Google